

idoneum adinveniat, qui accedente Episcopi licentia vices ejus adimpleat. *De Synod. dioec. lib. 13. cap. 19. num. 2.*

17) Praecisa et causativa.

Notabilis est divisio residentiae in praecisam et causativam. Illam adimpleri nequit per alium obligatque sub poena amissionis beneficii, haec vero potest per alium adimpleri solumque sub poena amissionis fructuum obligat. *Bigant. in comment. ad Regul. 1. §. 8. n. 12., Rot. in Monasterien. parochialis 16. Febr. 1748 §. 5. coram illustriss. Migazzi.*

Residentia praecisa non debet necessario esse continua, sed potest esse et discontinua. Dummodo enim non residenti poena amissionis beneficii sit imposita, residentia dicenda est praecisa, sive sit continua sive sit discontinua. *Leuren. in for. Benef. part. 1. sect. 3. cap. 1. quaest. 363. per tot., Garc. de Benef. part. 11. c. 5. n. 90., Lotter. de re Benefic. lib. 3. c. 27. n. 3., optime Rot. in dict. Monasterien. parochial. 16. Febr. 1749 §. 5. et seq. coram illustriss. Migazzi.*

Ex quibus dignosci possit, utrum beneficio imposita sit residentia praecisa an residentia causativa, recte tradit *Rigant. in comment. ad Regul. Cancellar. dict. Reg. 1. §. 8. a n. 16. ad plur. sequent.,* ubi illud notabile, quod poena amissionis fructuum a fundatore expressa in dubio tantum inducit residentiam causativam, non item si aliunde constet voluisse eum residentiae praecisae beneficium subicere. Confer etiam *Rotam in Vicen. Benefic. 5. Julii 1751 et plur. sequent. coram Rmo Corrado. Impetratio Beneficii, quod sit obnoxium oneri residentiae causativae, valida est, vel si nihil dictum sit de residentia vel si negatum sit*

habere ipsum onus residentiae; *Rota in Fanensi Beneficii 23. Apr. 1735 §. 8. coram bon. memor. Peralta, in Caesaraugustana Beneficii 28. Junii 1745 §. 7. coram Rmo Molino, et in dict. Vic. Beneficii 5. Jul. 1751 §. 12. coram Rmo Corrado.*

Insigne est discrimen, quod intercedit residentiam praecisam praescriptam ab Homine. In illa contra non residentes procedendum est modo ab ipso jure praescripto. In hac servandus haud est modus ille, sed qui per aliquod tempus non resederunt, privari Beneficii possunt. *Hericourt. oper. posthum. tom. 1. cons. 33. fere per tot. et signanter §.: A Pegard.*

18) Sacerdotum aliorum.

Sacerdos quidam archidioecesis Firmanae ruralis ecclesiae, ubi SSimum Eucharistiae Sacramentum quotidie asservatur, uti Aedituus addictus S. R. Congregationem simplex rogavit, ut declarare dignaretur dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: An Aedituus ruralis Ecclesiae, ubi SSimum Eucharistiae Sacramentum semper asservatur, teneatur ibi residere, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium quotidie celebret, vel an possit per quinque aut sex dies quolibet mense abscedere, ut aliis obligationibus in alia ecclesia vacet. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunata respondendum censuit: „Teneri ad residentiam et quotidianam Missae celebrationem vel per se vel per alium sacerdotem.“
n. 4700 die 16. Mart. 1833.

Ad dubium I.: Utrum Coadjutores omnes, quomodocunque sint capellaniae institutae, teneantur ad residentiam personalem eadem lege Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform., qua rectores ipsi parochialium tenentur?

II.: Utrum possit Episcopus et teneatur cogere ad residentiam illos etiam Coadjutores, quibus nulla expressa personalis residentiae obligatio injuncta est?

III.: Utrum possit Episcopus cum aliquo ex his Coadjutoribus dispensare super residentia?

S. C. C. resp. *ad I.:* Teneri; *ad II.:* Teneri cogere hos, sicut ipsos ecclesiae rectores; *ad III.:* Non posse prout nec rectoribus ipsis potest.

Die 5. Nov. 1620.

Ad dubium: Constitutis in binis ecclesiis paroch. s. Luciae et ss. Salvatoris Coadjutoribus pro exercitio curae animarum cum suppressione nonnullorum beneficiorum in S. C. exhibitum dub. fuit: An uterque in sua parochia respective residere teneatur?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 21. Aug. 1677.

Cf.: *Resid. parochi. Vd.: Edictum Clem. XI. die 18. Jun. 1701 (Bull. r. t. VIII. p. 290).*

De eorum absentia a loco resid. vd.: Resid. parochi (absentia).

19) Sacerdotum auxilii.

Nullius Terrae Fasani residentiae.

Servitio prioralis receptitiae Ecclesiae s. Joannis Bapt. Terrae Fasani adscripti reperiuntur Originarii omnes, qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, quorum quadraginta participantes nuncupati absque titulo collativo, et cum aequali emolumentorum participatione dominicis aliisque festis diebus Ecclesiae inservire, reliquis vero divisim in quatuor hebdomadas Missas perpetuas vel adventitias inibi ad certaria celebrare tenentur, concurrentibus etiam diebus festis ad sacras functiones caeteris Supernumerariis, qui juxta antianitatis ordinem in quo-

Decreta authentica. Tom. III.

cumque vacationis eventu inter participantes assumuntur. Veteri autem consuetudine ac peculiari lege a participantibus edita anno 1671 et a Vicario Generali subscripta cautum est, quod participantes ultra sex menses a residentia vel a servitio chori absentes a participatione excludantur, ne praepjudicium aliquod Supernumerariis irrogetur; justam vero non interestiae et absentiae causam allegantes, dummodo Missarum onera per alios adimpleant, frui valeant praebenda tantum, id est participatione stabilium et censuum, dempta tamen tertia parte eorundem censuum ac integre detractis tum funerum tum funeralium et Missarum cum cantu emolumentis.

Sacerdos Petrus Leonardus Loprete in participantium numerum anno 1729 adscriptus paulo post ex causa non servatae residentiae ab eo fuit expunctus; postmodum anno 1732 iterum obtinuit ad aliam portionem tunc vacantem admitti. Cum autem ipse denuo relicto propriae Ecclesiae servitio ad Urbem sese transtulisset, absque eo quod unquam de reditu cogitasset, hinc Capitulares diuturnae peresi morae die 4. Julii 1759 coram Vicario Generali insteterunt, ut ei ad redeundum congruus assignaretur terminus, quo elapso ipsis fieret potestas alterum ex senioribus Supernumerariis subrogandi. Postulatio hujusmodi die 17. ejusdem mensis intimata fuit Loprete, praefixo termino triginta dierum ad comparendum; sed ipso in sua contumacia, etiam in termino prorogato ad totam diem 10. Apr. anni 1761, insordescente morasque necente, etiam per expeditionem Monitorii coram A. C. super manutentione in jure ac possessione non residendi, delata est causa judicio Sac. Congregationis. Eaque nunc proponitur duobus collecta capitibus. Et disputant Capitulares, Sacerdotem Loprete ad residendum et

ad chori interessendum teneri, tum ex juris canonici dispositione tum ex antiqua consuetudine, tum etiam ex peculiari decreto capitulari anno 1671 ab Ordinario approbato, in quo delectur ab albo participantium non residentes ultra sex menses, cumque nulla rationabili impellente causa per plures annos a residentia vacaverit et adhuc vacet, inferunt locum esse expulsionem Loprete a consortio et subrogationi alterius ex Supernumerariis.

Quoad onus residentiae in his Ecclesiis receptitiis conferre videntur rescripta hujus S. Congregationis edita in *Asculana* participantium 18. Nov. 1662, in qua propositis dubiis:

I. An in dictis participantibus habeant locum poenae non residentium, tam in jure communi quam a Sacro Concilio inflictas?

II. An eisdem participantibus possit Episcopus permittere longiorem absentiam a residentia, quam in canonicatibus et in aliis collativis Beneficiis eam requirentibus, ex causa indulgere potest?

Responsum fuit ad I.: Habere locum; ad II.: Non posse, ut in lib. 23. decr. pag. 347.

Quo vero ad privationem non residentium similis quaestio proposita fuit in *Ugentina* participationis 9. Septbr. 1730, in qua, cum deletus fuisset a tabella participantium Presbyter post anni absentiam, disputata fuerunt dubia:

I. An sit locus manutentioni seu reintegrationi favore Donati Arnesii, etiam non obstante absentia, in participatione massae communis Ecclesiae parochialis Terrae Ruffani? et quatenus affirmative;

II. An et a qua die debeant eidem restitui portiones massae communis?

Causa non fuit decisa, cum S. Congregatio crediderit respondere: „Dilata et ad mentem“, (lib. 80. decr.

pag. 231.) quae fuit, ut scriberetur Episcopo viciniori pro nova informatione super qualitate servitii praestandi Ecclesiae receptitiae, et in hoc statu absque ulteriori progressu remanserit.

Dignabuntur igitur EE. VV. decernere:

I. An Sacerdos Loprete teneatur ad personalem residentiam in Ecclesia receptitia s. Joannis Baptistae Terrae Fasani? Et quatenus affirmative;

II. An attenta illius contumacia sit locus admissioni novi Presbyteri in locum dicti Loprete in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad utrumque. Die 16. et 30. Jan. 1762.

Vd.: *Resid.* (Benef., Capellan.).

20) Thesaurarii.

Ad dubium: An et quomodo thesaurarius Cathedralis Ostunen. cogi possit ad residentiam?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 7. et 28. Julii 1708 ad 1.

21) Vicarii a Capitulis Cath. vel Colleg. ad administr. paroch. remotam destinati.

Florentina.

(Conc. Tr. c. 7. sess. 7.; cap. 9. 16. sess. 25. De reform.)

Ecclesiae paroch. s. Mariae de Praetorio nuncupatae, quae a multo tempore unita fertur Capitulari Mensae Ecclesiae Colleg. s. Andreae Terrae Emporii, latente adhuc dictae unionis documento, deserviri consuevit quoad animarum curam a Vicario amovibili, qui est unus ex Capitularibus et d. Collegiatae a Capitulo deputatus cum approbatione Ordinarii, recepta ann. stipe scutorum octo, quae persolvuntur a Capitulo ac desumuntur a sextariis 31 frumenti, quos Emphyteutae primodictae Ecclesiae contribuunt ipsi Capitulo, necnon sextariorum undecim

frumenti contributorum a parochianis. Cumque d. Vicarius non nisi diebus festis de praecepto solitus sit ad praefatam parochialem accedere, eo quod ob deficientiam congruae sustentationis suam residentiam faciat in praedicta Terra Emporii distante a parochiali duobus circiter miliaribus, interfluente Arno fluvio, hyberno tempore non leviter extumescere quin et interclusis per nocturnas horas ejusdem Terrae Januis, populus et Parochiani de Praetorio, qui hodie conflant numerum animarum 128, desiderantes habere Pastorem suis spiritualibus indigentibus propinquiorem redegerunt Ecclesiam parochialem jam dudum pene excisam in formam decentiorem, concinnata pariter sufficienti habitatione pro Parocho, atque ulterius ad congruam ipsius Parochi sustentationem, qui residentiam erit facturus in saepe dicta parochiali, Simon de Alexandro vir praedives ac nobilis exhibuit se de suis propriis bonis contribuere ann. scut. 50, dummodo tamen eidem ac suis haeredibus quibuscumque Juspatronatus in eadem Ecclesia parochiali reservetur, quod quidem autumat jam diu habuisse ex gentilitiis suis stemmatibus, quae affixa conspiciuntur in ejus janua et ara maxima. Hinc iidem parochiani humillimum habuerunt recursum ad hanc S. C. pro declaratione dissolutionis praetensae unionis et benigna praemissorum approbatione Archiepiscopus Florentinus desuper informare requisitus omnia praedicta confirmavit ac non obstante Capitulo Collegiatae contradictione Orationum precibus annuendum putat, dummodo tamen idem Capitulum nolit per se onus personalis debitae residentiae subire, cum caeteroquin informans maxime commiseretur illarum animarum detrimentum ex absentia pastoris hactenus exantlatum, earum quamplurimis dudum perfunctis sine Sacra-

mentis et sine assistentia spirituali, uti fusius ex ejusdem relatione in summario danda. Partibus itaque hinc inde monitis, reliquum est, ut EE. PP. dignentur resolvere infrascripta dubia concordata:

I. *An sit locus dissolutioni unionis?*

II. *An admittenda sit dotatio, de qua agitur, cum reservatione Juspatronatus in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Capitulum apponat Vicarium cum assignatione congruae taxandae ab Archiepiscopo, quippe Vicarius teneatur residere diu noctuque in parochia.

Die 13. Apr. 1709.

22) Vicarii Regularis.

Ad dubium: An liceat Monachis Vicariis deputatis in Ecclesiis paroch., quatenus sint unitae aut annexae Monasterio, residere in parochiis absque socio regulari?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 4. et 18. Maii 1715.

23) Vicariorum residentiae locus.

Firmana.

Parochialem Ecclesiam s. Stephani Terrae Montis Sancti anno 1754 Sacratissimus Princeps noster in insignem Collegiatam erexit, quae Praeposito, duodecim Canonicis et duobus Vicariis Curatis componeretur. Canonicis congruos redditus assignavit ex hereditate Petri Antonii Marefuschi, derogatis piis aliis operibus, quae in ejusdem testamento designatae fuerant: Praeposito, qui ante Collegiatae erectionem Plebanus erat, quem totius Capituli caput esse voluit, et cui habitualis tantum cura animarum relicta fuit, omnia et singula bona necnon quoscumque fructus, redditus et proventus tam certos quam incertos quomodolibet provenientes antea ad

dictam parochialem Ecclesiam s. Stephani spectantes attribuit cum onere tamen praestandi duobus Vicariis perpetuis, qui curam animarum dictae parochialis Ecclesiae exercere debent, annuam summam septuaginta ducatorum auri de camera et Juliorum quindecim monetae romanae inter ipsos praeter nonnulla emolumenta incerta eis obventura, aequaliter dividen. annis singulis unica seu pluribus solutionibus. Inter bona, quae ad parochialem Ecclesiam ante erectionem in Collegiatam spectabant, est domus Ecclesiae adnexa octo constans cubiculis, quam Praepositus pridem Plebanus habitat cum sua familia, quaeque illi vix satis est, licet sua pecunia eam et reparaverit et auxerit. Hanc nunc appetunt duo Vicarii Curati, non contenti ea, quam longe commodiorem ipsis comparavit Praepositus, quaeque passibus 162 distat ab Ecclesia. Licet enim eam habitaverint a die erectionis, contendunt tamen tradendam ipsis esse domum praeposituralem, quia ipsi curam habent animarum, non Praepositus, qui habitalem dumtaxat habet. Re delata ad hoc sacrum tribunal auditus fuit Archiepiscopus, qui secundum Vicarios respondit.

Disputat nunc Praepositus rem confici ex verbis, quae supra dedimus, Constitutionis SSmi Domini Nostri, quae omnia bona, quae ipsi domum habitent intra fines parochiae, quae non longe distat ab Ecclesia, quaeque amplior est praepositurali, quae dividi non potest cum Vicariis, hos frustra doctores allegare, qui docent domum parochialem a Parocho esse habitandam, cum id habeant de Parocho, qui talis sit actu et habitu, non de Vicariis. Haec atque alia Praepositus. A Vicariis nihil habuimus. Dubium est: An Vicarii Curati s. Stephani Montis Sancti praeter summam in Bulla assignatam valeant etiam expetere habi-

tationem in domo praepositurali, posthabita illa in viciniis assignata et actu ab eis inhabitata in casu?

S. C. resp.: Affirmative et ad mentem, et mens est, quod non amoto moderno Praeposito a domo parochiali assignetur Vicariis alia domus magis proxima approbanda ab Archiepiscopo.

Die 2. Apr. et 30. Julii 1757.

RESPONSORIUM.

1) Martyris.

Vd.: *Martyr* (Responsorium).

2) In Officio defunct.

Vd.: *Officium def.* (Resp., Dies).

3) Proprium.

Vd.: *Hymnus* (proprius, decr. n. 4044); *Haec est vera fraternitas.*

4) Repetitio.

Quando ad Matutinum duobus asteriscis est divisum Responsorium, e. g. post VIII. lect., quando fit de dom. per annum, item in festo Epiph. Dom. et in festo Concept. B. M. V., prima repetitio debet fieri a primo asterisco usque ad versum, non vero usque ad secundum asteriscum tantum, secunda vero repetitio, quae fit post v. *Gloria Patri*, non comprehendit nisi verba, quae habentur post secundum asteriscum, ut dicitur in Commentariis Merati et in aliis tractatibus liturgicis. Quaeritur: an hoc quoque observandum sit, quando in eodem responsorio plures habentur versus, ut in I. resp. dom. I. Adv. et in ultimo responsorio Officii defunctorum, quando dicuntur IX lect., ita ut in primo casu post vers.: *Quique terrigenae*, dici debeat: *Ite obviam ei, et dicite* * *Nuntia nobis, si tu es ipse*: * *Qui regnaturus es in populo Israel.* Et post versum:

Qui regis Israel, prima parte repetitionis omissa, dicatur: *Nuntia nobis si tu es ipse* * *Qui regnaturus es in populo Israel*; in secundo autem casu post versum: *Tremens factus sum ego etc.*, ponatur: *Quando coeli movendi sunt et terra*: * *Dum veneris judicare saeculum per ignem*; sicut non sufficiat repetitionem responsorii facere usque ad secundum vel tertium asteriscum tantum omittendo verba sequentia usque ad versum?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Prima vice integrum legendum responsorium post versum usque ad secundum asteriscum; post *Gloria Patri* a secundo asterisco ad finem, juxta alias decreta et ut notatur in Brevariario.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad VII. die 7. Decbr. 1844.

Lauretana.

Sacerdos Archangelus Polidori Canonici itemque Choro Praefectus Basilicae Lauretanae humillimis datis precibus enixe supplicavit, ut a S. Rit. Congregatione declaretur: utrum in responsoriis post lectiones, quando duplex apponitur asteriscus, dicto versu repetenda sint verba a primo asterisco ad versum usque, et post *Gloria Patri* repetitio incipere debeat a secundo asterisco ad versum usque, uti opinantur Cavalieri et Merati, vel utrum prima repetitio post versum prosequi debeat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti rubrica ad proximam redacta praescribit in responsoriis dominicae primae sacri Adventus et in responsorio: *Libera me Domine*, Officii defunctorum, uti fieri assolet in Ecclesiis Urbis, ac servandum praecipit Orator in Basilica Lauretana, cujus sanctionis veluti praxi conformis

confirmationem exposcit. Hujusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitibus ad Quirinale infrascripta sub die habitis reque mature perpensa Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi hodiernam consuetudinem in choro Basilicae Lauretanae constitutam confirmarunt ac proinde rescribendum censuerunt: „Dividatur et recitetur responsorium prout in precibus.“ n. 4733 die 6. Sept. 1834.

REVERENDISSIMUS.

1) In benedictionibus.

Ad dubium: An Subdiaconus vel alius quicumque minister, qui inter missarum solemnias vel alio quovis casu petit benedictionem a Praelato pro incenso seu aqua, possit invertere ordinem pontif. rubricae, qua jubetur ut dicat: *Reverendissime Pater*, et dicere: *Serenissime Pater*?

S. C. resp.: Servetur Caer. Episcop. lib. 2. cap. 8. n. 4140 ad 1 die 11. Maii 1743.

Subdiaconus urceolum aquae parumper versus Episcopum elevans dicit: *Bened., Pater Reverendissime...*

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 62.

Ministrante Diacono naviculam et dicente: *Bened., Pater Reverendissime* imponit Episcopus incensum (ad Offertorium).

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 64.; l. I. c. XXIII. n. 1. 10.

Vd.: *Thus* (impositio); *Incensum* (impositio).

2) In Confessione.

Vox „*Reverendissime Pater*“ non dicitur in Confessione a Ministris et Assistentibus Episcopi, sed solum „*et tibi (te) Pater*.“

n. 133 ad 5 die 2. Sept. 1597.